

2

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XV.

NICOLAUS BARIUS  
GEORGIUS POLYCARPUS DE KOSTOLAN  
SIMON HUNGARUS  
GEORGIUS AUGUSTINUS ZAGABRIENSIS

RELIQUIAE

EDIDIT  
LADISLAUS JUHÁSZ



MCMXXXII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq. kot.  
114 928



## INTRODUCTIO.

### I. NICOLAUS BARIUS.<sup>1</sup>

De aetate iuvenili Barii nihil scimus; primum a. 1447. praepositus ecclesiae Agriensis nobis apparet, cum mense Aprili in auditorum facultatis iuristarum studii Vindobonensis assumptus est. Calendis Februariis anni proximi iam Patavii invenimus, ubi fere tres annos moratus est. Saepe testis prodit, cum quis doctor creatur; sic eum mense Iunio a. 1450. iam canonicum ecclesiae Agriensis fuisse novimus. Die 19. mensis Octobris anni eiusdem doctoratum in iure canonico assecutus est. Iam mense Decembri in Hungaria lateri Ioannis Vitez de Zredna episcopi Varadiensis adhaerentem invenimus, a quo eum iam pridem adiutum esse suspicamur. Cum Fredericus III. imperator Ladislaum V. regem Hungariae Ulrico Ciliae comiti et Hungaris mense Septembri a. 1452. tradidit, Hungari legationem ducentibus Dionysio Széchi archiepiscopo Strigoniensi et Ioanne episcopo Varadiensis et Venceslao episcopo Vaciensi regem suum salutatum miserunt; orationem ad regem Vindobonae Barius habuit.<sup>2</sup> Mense Ianuario proximi anni Ioannes episcopus Varadiensis cancellarius et Barius vicecancellarius apparent et Barius mense Aprili secretarius regis nominatur (App. 2.). Die 29. mensis Septembris a. 1454. in conventum Francofurti habitum legationem Hungarorum Barius duxit et idem orationem quoque ante nos ignotam habuit. Plura de vita Barii indicibus deficientibus scribi nequeunt.

Epistola Ragusiorum ad Barium die 28. mensis Novembris a. 1453. scripta est.<sup>3</sup>

#### *De codicibus.*

*V* — Vindobona. Bibl. Nationalis. Lat. 3520. Saec. XV., chart. Folia 52r—53v orationem Barii continent.

*M* — Monacum (München). Bibl. Civilis. Clm. 8482. Saec. XV., chart. Continet orationem Barii (fol. 73r—75v) et epistolam rectoris et senatus Ragusiorum ad Barium scriptam.

---

<sup>1</sup> Cf. Gu. *Fraknói*, Vitéz János esztergomi érsek élete. Budapest, 1879., pag. 87., 99—100. (Fraknói Barium nomine Bánfalvai quoque nominat.) — C. *Schrauf*, Magyarországi tanulók külföldön. II. Magyarországi tanulók a bécsi egyetemen. Budapest, 1892., pag. 101., 141. — A. *Vereés*, A páduai egyetem magyarországi tanulóinak anyakönyve és iratai. Budapest, 1915., pag. 8—10. — I. *Huszti*, Janus Pannonius, Pécs (Hungaria), 1931., pag. 317. (comm. 61.). )

<sup>2</sup> In cod. *V*, qui solus titulum orationis habet, Vienna in Budam corrigebatur. Barius orationem Budae habere non potuit.

<sup>3</sup> Epistola ad nostram aetatem sine dato remansit; huic epistolae autem quaedam ad Iohannem Vitez de Zredna scripta (47v—48r) praecedit, quae hac die scribebatur et sententia quoque epistolarum eadem est.

*N.* — Ibidem. Lat. 431. Saec. XV., membr. Epistolas Ioannis Vitez, et sic ad Barium quoque scriptam (fol. 51v—52r) codex continet.<sup>4</sup>

*B* — Ibidem. Lat. 3389., Saec. XV., chart. Codex epistolas Aeneae Silvii ab ipse scriptas continet. Ad Barium scripta inventur fol. 106r.<sup>5</sup>

## II. GEORGIUS POLYCARPUS DE KOSTOLAN.<sup>6</sup>

Georgium Polycarpum a. 1431. natum esse credimus.<sup>7</sup> A. 1453. Ferrariae convictores (Simonem Hungarum, Franciscum Piccolomineum et alios) Guarini Veronensis docet. A. 1458. adiuvante, uti creditur, Ioanne Vitez de Zredna in cancellaria Mathiae regis Hungarorum protonotarius factus est, qui eum mense Ianuario a. 1460. ad congressum Mantuanum misit; sed serius eo pervenit, Pius II. enim die 19. mensis eiusdem iam congressum inclusit; papa igitur eum Saenae accepit. A. 1461. legatus eiusdem regis in consilio imperiali Norimbergae convocato orationem a nobis nunc primum editam de bello contra Turcas ferendo habuit. Proximo anno in eadem causa a rege Mathia legatus ad papam et principes Italiae mittitur. Ab a. 1468. laicus Romae scriptor litterarum apostolicarum fit et filiam Georgii Trapezuntii in matrimonium ducit. Mox Mathias rex procuratorem, eum legatum Romae non haberet, eum elegit. A. 1472. — etsi laicus erat — canonicus factus est. Usque ad mortem — a. 1489. e vita decessisse 58 annos natus Polycarpus videtur — Romae mansit.

Polycarpus epistolam a. 1450. scripsit. — Ianus Pannonius epigramma (App. 2.) a. 1462. ad eum scripisse videtur.

Ex quo codice epistolam I. G. *Schwandtner*, una cum commentariis Pauli de Iwanich edidit: *Scriptores rerum Hungaricarum veteres ac genuini*. Tom. II. Vindobonae, 1746., pag. 98—99. — Quendam codicem epistolarum Iohannis Vitez Pragensem memorat Gu. *Fraknoi*, *Vitéz János levelei és beszédei*. Magyar Könyv-Szemle, 1887., pag. 59—62.

Epistolam iam ter ediderunt: 1. A. *Weiss*, *Aeneas Sylvius Piccolomini als Papst Pius II.* Graz, 1897., pag. 117—18. (no. 12). — 2. G. *Voigt*, *Enea Silvio Piccolomini als Papst Pius der Zweite und sein Zeitalter*. I—III. Berlin, 1856—63., no. 203. — 3. R. *Wolkan*, *Der Briefwechsel des Eneas Silvius Piccolomini*. III. Abt., 1. Band. Wien, 1918., pag. 143—44. (no. 73.).

<sup>6</sup> Vulgo Georgium Polycarpum nominamus. — Cf. E. *Abel*, *I. György kalocsai érsek*. Egyetemes Philologiai Közlöny, Budapest, 1880., pag. 32—44. (multis mendis). Ex Epistola Aeneae Silvii complures sententiae editae sunt. — Gu. *Fraknoi*, *Mátyás király magyar diplomatái*. Századok. Budapest, 1898., pag. 2—14. — I. *Huszt*, *Janus Pannonius*, o. c., pag. 27., 311. (comm. 61., 63.).

<sup>7</sup> 58 annorum mortuus est; a. 1489. nomen eius ultimum invenimus, eo anno eum mortuum esse coniecturam facere possumus. Epitaphium eius v: V. *Forcella*, *Iscrizioni delle chiese ed altri edifizii di Roma dal secolo XI. fino ai giorni nostri*. I—XIV. Roma, 1869—83.; I., pag. 461., no. 1795. (Cf. F. F. *Bánfi*, *Egy magyar diplomata sírja Rómában*. Századok. Budapest, 1931., pag. 104—09.).

*De codicibus.*

*M* — Monacum (München). Bibliotheca Civilis. Clm. 8482. Saec. XV., chart. Continet epistolam Polycarpi ad Ioannem Vitez de Zredna episcopum Varadiensem (fol. 24*v*—25*r*).

*B* — Budapest. Museum Nationale Hungaricum. Cod. Lat. Med. Aevi, 210. Saec. XV., chart. Continet orationem Polycarpi (fol. 185*r*—188*v*).

*S* — Seitenstadium. — Bibl. Claustrum Benedictinensis. No. 223. Saec. XV., chart. Codice oratio Polycarpi continetur (fol. 240*r*—243*r*).

*F* — Florentia. Bibl. Medicea Laurentiana. Plut. 54., cod. 15. Saec. XV., membr. Codex epistolas Aeneae Silvii Piccolominei complectitur epistola a nobis edita [App. 1.] (fol. 37*v*—38*r*).

*V* — Vindobona. Bibl. Nationalis. Lat. 3247. Saec. XV., chart. Codex carmina Iani Pannonii continet. (App. 2.)<sup>8</sup>

*H* — Budapest. Museum Nationale Hungaricum. Cod. Lat. Med. Aevi, 367. Saec. XVI., chart. Codice carmina Iani Pannonii continentur. (App. 2.)

*R* — Roma. Bibl. Vaticana. Vat. Lat. 2847. Saec. XV., chart. Codex carmina Iani Pannonii complectitur. (App. 3.)<sup>9</sup>

*De editione codicis loco habenda.*

*e* — Iani Pannonii episcopi Quinqueeccles., quae uspiam reperiri adhuc potuerunt, omnia. Opera Ioannis Sambuci. Viennae Austriae, 1569. — Inter carmina Iani Pannonii invenitur ad Polycarpum scripta: App. 2. (LX*v*—LXI*r*). Editio, quia codex, ex quo carmina edebantur, periit, codicis loco habenda est.<sup>10</sup>

III. SIMON HUNGARUS.<sup>11</sup>

De Simone Hungaro paene nihil certi habetur. De eo tantum scimus, quantum ex epistola eius ad Ioannem Vitez de Zredna episcopum Varadiensem scripta elucet: A. 1453. convictor Guarini Veronensis Ferrariae erat, ubi eum Georgius Polycarpus de Ko-

<sup>8</sup> Ex quo codice epigramma S. *Teleki* (nomine editoris non memorato) edidit: Iani Pannonii Poemata. Traiecti ad Rhenum, 1784., pag. 121.

<sup>9</sup> Epigramma ex hoc codice edidit E. *Abel*, Analecta ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia. Budapestini-Lipsiae, 1880., pag. 123.

<sup>10</sup> Post hanc editionem epigramma bis in lucem prodit: 1. Ph. *Pareus*, Delitiae poetarum Hungaricorum. Francofurti 1619. — 2. I. *Norbertus Conradt*, Iani Pannonii Quinque Ecclesiarum episcopi libri III. poematum, elegiarum et epigrammatum. Budae, 1754., pag. 260.

<sup>11</sup> Cf. Gu. *Fraknoi*, Carvajal János magyarországi követségei. 1448—1461. Budapest, 1889., pag. 18., comm. 3. — R. *Sabbadini*, Epistolario di Guarino Veronese. Vol. III. Venezia, 1919., pag. 442—43. Paene tota epistola edita est. — I. *Huszt*, Magyar humanista mint török tudós V. Miklós pápa udvarában. Századok. Budapest, 1927—28., pag. 346—50. — *Idem*, Janus Pannonius, c. e., pag. 33—34., 42.

stolan quoque linguam Latinam docuit. Plures Hungari nomine Simon nobis noti<sup>12</sup> sunt, sed ex iis fueritne unus noster Simon, nescimus. — Nos primum eum Hungarum nominamus.

Epistola a. 1453. scripta est.

*De codice.*

*M* — Monacum (München). Bibl. Civilis. Clm. 8482. Saec. XV., chart. Epistola folia 50r—51r occupat.

IV. GEORGIUS AUGUSTINUS ZAGABRIENSIS.<sup>13</sup>

Nomen Georgii Augustini Zagabriensis sola epistola a nobis nunc edita notum fecit. In schola a. 1454., cum epistolam Ferraria Bononiam ad adiutorem suum Nicolaum Ostphi praepositum Strigoniensem (in Hungaria) scripsit, Guarini Veronensis discebat.

Epistola a. 1454. scripta est.

*De codice.*

*M* — Monacum (München). Bibl. Civilis. Clm. 5369. Saec. XV., chart. Epistola in foliis 56v—60v invenitur.

<sup>12</sup> V. I. *Huszt*i, Opera citata. |

<sup>13</sup> E. *Abel*, Analecta, o. c., pag. 215—21. (Epistola edita.) — *Idem*, I. György, o. c., pag. 38., comm. 6. — R. *Sabbadini*, o. c., pag. 441. — I. *Huszt*i, Janus Pannonius, o. c., pag. 102., 145—46. — De Nicolao Ostphi v. F. *Kollányi*, Fsztergomi Kanonokok 110—1900., Esztergom, 1900., pag. 97—98.

## I. NICOLAUS BARIUS.

ORATIO AD LADISLAUM V. REGEM.

*Oratio collationalis ad Ladislaum regem  
Hungariae, Bohemiae, etc.*

Serenissime princeps et clarissime rex, memini priscos 1  
viros non solum eloquentiae arte compositos, verum etiam  
plurimis, quae ad perficiendum oratorem sola natura dare  
potest, omni cum admiratione dotatos vereri semper et pa-  
vescere, quotiens in commune sua trahebatur oratio, quanto  
magis ego homuncio praecipitium horreo, utpote cui nec vox  
nec animus est neque ars neque consuetudo ad dicendum.  
Consternatur enim mihi animus splendore coruscantis prae- 2  
sentiae tuae. At quia maiorum meorum hic praesentium iussis 3  
necessario parendum est, quamvis balbutiens loquar, servus  
tuus iuvabit profecto, princeps clarissime, hodiernum de tua  
maiestatis placido aspectu conflatum gaudium, quod mihi  
ad loquendum non tam audaciam ingerit, quam ardorem.  
Sed cum praeclarae dignitati et meritis tuis impar laudator 4  
accedam, veniam dabis. obsecro, et sufferes insulsum sermo-  
nem humanitate a divis parentibus in te transfusa, quae  
tecum nata tecum in dies perseverat.

Considero, optime rex, tui sanguinis originem, qua nulla 5  
sub caelo clarior aut fuit aut futura est, utpote cuius maiores  
a proavo Romano regno feliciter praesidentes aeternaliter  
memorabili laude triumpharunt. Cogito illustres progenitorum 6  
tuorum victorias fortissimaque gesta et bella maxima virtute  
confecta, quorum nulla unquam saeculorum posteritas immem-  
or esse potest. Intueor quasi in speculo sublimem illum 7  
immortalis auctoritatis principem, avum tuum, dico Sigismun-  
dum Caesarem, inclitorum operum numero praestantissimum,  
quo sene adolescens' utebar, cuius quam utilis regno nostro  
vita esset, mors dampnosa, declaravit deus bene: Quanta in 8  
illo principe clementia, iustitia, humanitas, gravitas et infinita  
linguae suae caelitus infusa gratia fuit. Quam miro erat 9  
exculptus ingenio, quanta caritate et benivolentia militum  
saepius. Quid plura? Non solum laudi, sed admirationi om- 10  
nibus erat, eo, quod in illo, quasi in quoddam domicilium,

omnes humanas dotes natura adeo contulerat, ut quasi in eo solo ornando fuerit occupata. Accedit inter alia ad cumulum 11 praeconii et quasi clarioribus Augusti titulis connumeratur illa sua divina liberalitas, qua amplissimas opes et regios thesauros in beneficio quam in fructu reponere solebat. Testes sunt magnificae baronum domus et infinitae nobilium 12 altis dotibus per eum exaltatae familiae. Testes sunt exterae 13 nationes, quibus clarissimi principis curia ut domus paterna semper benefica fuit.

Quid referam illum divinum genitorem tuum, inclitum 13 regem Albertum ipsius avi tui sicut regnis, sic et virtutibus successorem, et clarissimam genitricem tuam, Elisabeth reginam, quos nunquam sine cognomine bonae memoriae appellare solemus, quorum rectefactorum laus et gloria tum optimi cuiusque, tum multitudinis testimonio comprobatur. Fuit 15 enim rex ipse tum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus externis magis laudandus, quam domesticis institutis. Fuit regina regi non tam toro, quam virtutibus iuncta 16 augusta specie patrem Sigismundum repraesentans, quae magnanimum et maximae mentis propositum et animum non femineum, sed virilem in maximis turbinibus conservavit. Quantus autem in amborum corde devotionis et religionis 17 ardor extiterit, inter alia fidem faciunt sumptuosa maximorum templorum aedificia, innumerabiles sacerdotales cultus, pretiosa ornamenta et sacra vasa, pro quibus infinitos thesauros effundere solebant, utpote qui ea commutabant bona, quae fur rapere nequit nec tollere praescriptio.

Ventum est modo, clarissime rex, ad laudes splendidae 18 iuventutis tuae, quae quia re ipsa magis, quam mea voce clariores sunt, aequo patieris animo me eas praeterire. Erunt 19 alii, qui eas orationibus suis gravius et ornatius includent. Mihi vero illud pro meo ingenio satis erit, si, quantum nostra 20 provincia tuis felicibus auspiciis congaudet, hodie ostendere potero. Cognito nuper felici ingressu tuo ad hanc tuam urbem 21 ducalem universa nostra res publica exultavit et fecit iocundissimos applausus ac omne id genus, quo vulgo laetitia significatur. Hodierna vero die, ut cernis, maiores nostri et hic 22 inclitus procerum coetus pro summa voluptate tuam petierunt praesentiam, ad te veluti e caelo lapsum quempiam convolarunt. Et sicut illi beati pueri ingredienti domino Iherusalem assumus, 23 ecce, tibi gratulamur admodum te nobis regem esse animo senem, annis iuvenem, qui ab infantia divino munere nobis datus et nobiscum natus altum inclitorum tuorum progenitorum iter mira indole prosequi contendis. In te rutilat splendor 24 clarissimae stirpis tuae et caelestis quaedam maiestas, qua sideribus patriis par sidus evadis et, ut generosae adolescentiae tuae primordia polliceri videntur, praeclarae propagini tuae ornamento eris. Miro dei favore nunc primum in 25



te nobis post tot saecula beatissimus ille primus Ladislaus rex noster redditus est, qui ob insignem mentis pietatem mutato nomine ab omnibus pius vocabatur. Illum, velim, sicut<sup>28</sup> nomine, sic virtutibus sequaris et moribus, illius more deum cole, patriam ama, iustitiam conserva ac a subditis amari potius, quam timeri stude. Regem enim bene de re publica mereri,<sup>27</sup> laudari, amari gloriosum est, metui vero et odio esse invidiosum, detestabile, imbecille, caducum. Habes praeterea ante oculos illustres progenitorum tuorum supra memoratos actus, in quibus te tamquam in nitidissimo speculo contempleris. Ad illorum gloriam te conforma, illos ut tempore, ut sanguine,<sup>28</sup> sic animo sequaris et moribus. Postremo, ut ad id, quod urget,<sup>29</sup> descendam, regnum tuum Hungariae tam diu tempestatibus iactatum saepe delusam et paene proiectam spem in tui adventu reposuit.

Veni ergo, rex virtutum, et libera nos, speratum nobis<sup>30</sup> tuae serenissimae frontis lumen ostende, ut libet; australes ne te sibi vendicent, nos Hungarum arbitramur. Noli amplius<sup>31</sup> tibi devotos tui adventus desiderio fatigare aut longioribus tractatibus et validis solemnitatibus consumere. Te unum<sup>32</sup> poscimus, tui siderei vultus intuitum postulamus. Suscipe hereditarium sceptrum non minus virtuti tuae debitum, quam sanguini. Quot enim clades Christiana religio, quot obprobria<sup>33</sup> dei vivi nomen intus forisque apud nos suscepit, longum desideraret sermonem. Exultant iam nostris calamitatibus<sup>34</sup> nationes, quot templa polluta, quot animarum milia in servitutem abducta, satanae legibus imbuta sunt. Horum remedium<sup>35</sup> in te positum est, liberator noster. Haec omnia tuis licet adhuc teneris humeris impendent. Noli terreri, ad laborem<sup>36</sup> natus es. Nil sine labore dedit vita mortalibus. Omnia vincit<sup>37</sup> caritas, omnia feret amor, et profecto, qui gloriae partem quaerit, necesse est, ut laborum partem ferat. Habes in parte<sup>38</sup> sollicitudinis generosum principem comitem Ulricum, qui tibi fidelissimus dux est et auriga, habes multos reverendos patres, episcopos, magnificos principes, barones et strenuos milites, quorum ductu amplissimam tuam rem publicam optime gubernabis. Eya ergo, clarissime rex, dulce decus nostrum,<sup>39</sup> spes et honor gentis nostrae, excitetur nobilissimus spiritus tuus. Exurge, ut Gigas, ad currendam viam, accélera<sup>40</sup> et, quam de te expectationem concepimus, magnanimis actibus superare contende. Omnia plana sunt, nullus est, qui<sup>41</sup> non te simul regem exoptet, tu e contra regia caritate nos omnes amplectere. Sola enim clementia regem deo aequat. Vale et, ut diu hic felix, tandem in caelo semper felix<sup>42</sup> vivas, Christum oro. Amen.

## APPENDIX.

## 1. EPISTOLA IOANNIS VITEZ DE ZREDNA.

Ex parte Io. episcopi Waradiensis ad dominum Nicolaum Barius doctorem, fratrem suum et amicum etc. responsalis in solatio etc.

*Venerabilis frater, accepi litteras tuas ex reditu quidem tuo 1 primas, sed debito novissimas et verba, quibus in me usus es, sustuli magis, quam tuli. Verum nec ita sustuli, ut patiar me victum ex 2 ea sententia, quam in absentem profers. Facilis de nullitate processus probatio aderit, ex qua profecto digna novellis tribunalibus tuis concussio impendet. Caeterum in parte alia litterarum tuarum 3 videris mihi rationem quandam sine libro debiti ponere, in qua etiam, antequam ius defensionis indulgeas, iam de succubitu praeceps interloqueris. Ach, quid dicam? — alio enim destina- 4 veram calamum, sed propellis, ut, dum tibi super optato agnomine illo, quod tuo quidem studio, nostro vero voto petatum iam consecutus es, congratulari debueram, oporteat quasi nolente manu renuntiare tibi, quod pro hiis haud aequis actibus et processibus tuis magno apparatu obvivo sindicandus es mox, quamprimum de 5 montana illa cathedra in hoc planum conscenderis. Sed certe, quia cum veteranis bancariis novo doctori manus conserenda est, vide, ne forte hii, quod olim de lassis bobus dicitur, fortius figant pedem. Vis audire plura ad reliquam partem epistolae tuae, in qua et 6 verba tua semetipsa remordent, nec respondent dictis facta. Dicis enim, ut omen illud, quod ab Italia retulisti, pro vetusto 7 more tecum inquam commune constituto etc.; fateor quidem te hoc more, immo potius debito erga me teneri, sed is ipse vetustus mos a te solum dicitur, alter est quidam novus, qui a te observatur. Nonne magis huic mori veteri consentaneum erat, si decus illud, 8 quod nobis et patriae. felix peregrinus retulisti, ut a te in primis haberi, ita a me in primis amplecti coeptum esset. Verum id secus 9 est, nam solo verbo mihi titulum illum dedicas, factis vero, quam aperte abdicas, cum tamen ita mihi hactenus in animo et in spe constitueram, ut doctoratum illum tu quidem teneres, ego vero possiderem. Sed fortasse tu tibi soli socius me ad vendentes mittere 10 decrevisti. Heodum ad me propius et super hiis quoque tibi respondebitur. Nunc te admonere sufficiat, ut venias et ita venias, 11 ut sindicatui praetacto paratus occuras. Duo sunt articuli, in quibus male iudicasti: primus, in quo nos absentes avaros astruis, alter, ubi malam rationem ponens nihil a nobis expiscari posse interloqueris. Super hiis vel cassare iudicium vel revocare te co- 12 gemus. Plura dicet et seria Marcus familiaris tuus. Ex oppido 13 Zalard XX. Ianuarii, anno domini MCCCCL. primo.*

## 2. EPISTOLA AENEAE SILVII PICCOLOMINEI.

Aeneas episcopus Senensis Nicolao Hungaro incliti regis Ladislai secretario, amico probo s. p. dicit.

*Nimis me atque iterum nimis venerandus pater episcopus 1  
Varadiensis suis muneribus et quidem magnificis cumulat. Sufficie-  
bat egregius equus, rursus me pellibus honorat, quibus uti reges  
debet. Oro meo nomine gratias suae dignationi dicas meque sibi 2  
commendatum efficias. Ego illi optimam fortunam cupio successus-  
que omnes felicissimos et honores, qui suae virtuti conveniunt. Non 3  
possum non amare tantum patrem. Quis est adeo ferox atque imma-  
nis, qui beneficientes non diligat? Virtus tanti domini, non munera  
eius, ut apud me pignus amoris solidi aeternique sit, faxo. Tua 4  
quoque probitas inter nos erit media. Rogo deum supplexque peto,  
ut coeptum pacis negotium inter magnos reges, principes nostros  
ad calcem ducatur. Sic liberius saepe et sine ulla suspitione inter  
nos litterae currere poterunt. Quod scripsisti de Florentino mer- 5  
catore, curabo apud Caesarem absolvere. Si sua maiestas annuet,  
geram tuo desiderio morem. Quod sequetur, ex voluntate eius pen-  
det. Id brevi faciam tibi notum. Scripsi nuper episcopo non breves 6  
epistolas misique cancellario Austriae illas ad eum dirigendas; pe-  
tebam commodari mihi historiam Hungaricam. Nescio, an meis  
litteris iter suum datum sit. Rogo, id scisciteris ex cancellario ipso 7  
et, si nondum missae sunt, cura, ut mittantur. Vale et me ama tui  
amantem. Ex Nova Civitate die XXVII. Aprilis 1453.*

## 3. EPISTOLA RECTORIS ET CONSILII RAGUSIORUM.

Rector et consilium Ragusii venerabili in Christo patri amico nostro praecipuo domino Nicolao Bario praeposito etc. et sacrae regiae maiestatis vicecancellario dignissimo.

*Venerabilis in Christo pater amice noster precipue. Relatione 1  
venerabilis presbyteri d. Stephani de Radulino nuntii nostri, qui a  
regia maiestate ad nos rediit, intelleximus vos eidem nuntio nostro  
cunctis in rebus auxilium et favorem praestitisse et erga eum me-  
diocri caritate usum fuisse, quocirca vobis admodum regratiamur  
et pro amore, quem erga nos ostenditis, pariter erga vos affecti  
sumus et ad quaelibet, quae vestrum honorem commodumque re-  
spiciant, parati semper erimus rogantes, ut in posterum vobis pla-  
ceat apud regiam maiestatem in ea, quibus opus erit, pro nobis  
incedere. Rogamus praeterea, ut de successibus praefatae regiae 2  
maiestatis velitis nos certiores reddere, nec minus de cunctis rebus  
regni, quas sciri liceat, quoniam avidissimi sumus audire in dies  
ipsius felices progressus et ea incrementa status sui, quae devotio  
fidesque nostra iubent nos desiderare. Datum.*

## II. GEORGIUS POLYCARPUS DE KOSTCLAN.

### 1. EPISTOLA AD IOHANNEM VITEZ DE ZREDNA.

*Georgius Polycarpus reverendissimo patri domino Iohanni  
episcopo Waradiensi salutem plurimam dicit.*

Plerique familiares mei summa benivolentia mihi de-<sup>1</sup>  
vincti iure necessitudinis nostrae saepenumero me adhortati  
sunt non mediocrem gratiam abs te inire posse. si tuam digni-  
tatem crebro litteris facerem certiozem. Id a me factum esse  
oportuit, fateor, quoniam in ea re studium profiterer meum.  
Verum non me inopia dicendi, sed, nescio, quo pacto, quae-<sup>2</sup>  
dam certe subrustica opinio deterruit. Veritus sum, ne me  
unum eorum hominum de numero censes, qui, tametsi nulli  
sunt, qui videri volunt, tamen se omnium rerum primarios  
appellari cupiunt et ita ingenium, quo neque melius, neque  
amplius est, prava ambitione insolescere sinunt. Eo fit tan-<sup>3</sup>  
dem, ut plerumque levitate animi commoti ea scriberent ad  
homines graves summa auctoritate praeditos, quae sermonis  
stulti et proprie puerilis argumentum scribendi prae se  
ferrent. Reliquum subiit, quod in consentaneum existimavi  
homini potissimum pudenti ei viro negotium facessere, quem  
magnitudine animi et consilii privatis in rebus vehementer  
occupatum viderem. Quocirca tuas partes arbitratus sum,<sup>4</sup>  
pater praestantissime. Hanc meam suspicionem vel, ut magis  
dicam, errorem, quo dies noctesque angor, penitus a me tol-  
lere tuum munus est, veluti imperatoris excellentissimi,  
cuius ductu et auspicio res bene geritur, me tanquam tironem  
quendam novum ad ineundum validi certaminis officium  
clangore ut animum tubarum pavitantem inflammare. Alias,  
cum mihi calcar atque stimulus vestri, ut ita dicam, abs te  
ingeretur, plura scribam. Tantum autem me tuae amplitu-<sup>5</sup>  
dini debere fateor, quantum non verbis consequi possum,  
quod ego, si hac suavissima luce frui dabitur, coram ostendam.  
Simon noster, et institutis et praeceptis uti fore confido,  
brevis eruditus evadet, namque lego sibi Maronem interdum,  
cuius carmina melle dulciora esse putat; itaque quasi diutur-  
nam sitim explere cupiens disciplinas optimas haurit. De  
Iohanne tuo melius facere puto, quam pauca dicere, namque  
eius bene instituto ingenio neque praestantius neque maius  
in rerum natura esse existimo; litterarum certe Graecarum

perdoctum esse constat. Hoc unum a tua amplitudine oro <sup>7</sup>  
atque vehementer obtestor, quo me illi magnopere litteris  
commendes tuis. Vale ex Ferraria raptim, 4-to Nonas De- <sup>8</sup>  
cembris.

## 2. ORATIO CORAM CONVENTU ACTA NURNBERGAE.

*Georgii Polycarpi oratio coram conventu electorum sacri  
Romani imperii acta Nurnbergae.*

Quancquam fidelium defensio, patres praestantissimi <sup>1</sup>  
atque amplissimi orbis terrae et consilii principes, omnibus  
Christianis principibus incumbit, tamen incliti reges Hun-  
gariae publicae salutis defendendae adeo studiosi fuerunt,  
ut, dum per vicinos principes pace fruerentur, nulli unquam  
principum Christianorum curam reliquerint hostium prop-  
ulsanderum, soli, dum licuit, Turcorum cohibuerunt im-  
petum mare Hellesponticum et penitiores Europae partes  
penetrantium. Quod studium ne nunc quidem regi nostro <sup>2</sup>  
deest, quid id agit, ut exemplo maiorum domino iuvante et  
maioribus regni sui invigilantibus impiae Turcorum genti  
resistere atque salutem communem tueri possit. Verum enim- <sup>3</sup>  
vero abhinc annos circiter nonaginta, dum malum infinitum  
serpit idque manat in dies latius, sic crevit maximus hostium  
numerus, ut nemini mirum videri debeat, si Turcorum impe-  
tus sustineri non possit, quod antea quoque cohiberi non po-  
tuit. Equidem, amplissimi imperii principes, vestra memoria <sup>4</sup>  
Sigismundus imperator potens erat et fere cum tota Christia-  
nitate coniunctus, tamen collato proelio ab hoste superatus  
evasit. Post vero tempora imperatoris Sigismundi quot regna  
subegit, quot provincias occupavit, quot principes delevit,  
quot principatus tributarios fecit. Graeciae imperium poten- <sup>5</sup>  
tissimum atque amplissimum, Bulgariam, Rasciam, Alba-  
niam et paene innumerabiles provincias tenet, ut iam  
constet illum tanto esse potentiozem, quantum provincia-  
rum numerum habeat maiorem, et, quanto ille serpit  
potentius, tanto vos providere decet accuratius. Omne enim <sup>6</sup>  
malum nascens facile opprimitur, inveteratum plerunque fit  
robustius. Maior certe cura ac diligentia adhibenda est, nec a  
vobis, ut antea, amplissimi orbis terrae principes, negotium  
fidei contemnendum. Res enim, quae negligitur, interdum  
cum dolore amittitur. Qua in re urbs Constantinopolitana pro <sup>7</sup>  
monumento haberi potest, quae propensa cum lacrimis et ge-  
mitu populi Christiani est amissa. Igitur subactis tot genti- <sup>8</sup>  
bus ac perdomitis tantis provinciis iam metas regni Hunga-  
rorum invasit, iam fores fidei pulsat, ut illud regnum tan-  
quam obicem et firmissimum fidei murum sternat, proterat,  
quo rupto (quod tamen deus avertat) facilior illi detur aditus

ad alios Christianos terra marique superandos. O bellum 9  
 magnopere extimescendum, quid hic faciet iratus, qui, cum  
 succensere non posset, omnibus Christianis fuerit inimicus.  
 Quid hic victor non audebit, qui adeptus victoriam urbem 10  
 Constantinopolitanam egresserit, exhausserit, templa disiece-  
 rit et ex his ornamenta ad se transtulerit, sanctorum ossa can-  
 nibus obiecerit, omnia ad lucrum praedamque revocaverit,  
 parentes natorum ante oculos, natos parentum in conspectu  
 iugularit, quorum ante pedes eius morientium sanguine os  
 impurissimum resperserit, omnia caede, omnia sanguine com-  
 pleverit? Quis est, qui pro rerum atrocitate tantas calamita- 11  
 tes deplorare queat ac illa crudelitate imbutus, cum multo  
 vobis veniet iratior, quam illis fuerit, quos trucidavit, cui  
 tandem vestrum aut cui omnino principi parsurus est? O for- 12  
 tunatos, si mala norint ventura, principes. Sed nonnunquam  
 sic mentem malus aufert error, ut homines prudentes, scien-  
 tes atque adeo videntes depereant. Nullus ei ludus videtur 13  
 esse iocundior, quam cruor, quam caedes, quam ante oculos  
 trucidatio principum. Non est vobis res cum scelerato ac nefa- 14  
 rio homine, sed cum immani taetraque belua, quae, dum nostris  
 periculis tenetur, urgetur, mutuo omnium auxilio obruatur.  
 Nam si de cavea eruperit, si emergerit, nullius supplicii crude- 15  
 litas erit recusanda.

Et licet, ut est ad hominum memoriam expositum, comes 16  
 ille Bistriciensis illustris parens regis nostri non obiectu late-  
 rum modo, sed etiam sanguine suorum crudelissimi hostis  
 iter intercludere conatus sit, ut communem salutem tueretur  
 et Christianitati inserviret, tamen, quia parvis copiis tantam  
 hostium molem non poterat sustinere, admonuit praedecessores  
 serenissimi domini nostri ac principes catholicos, quos oport-  
 tebat, ut conferrent debita auxilia, irent obviam hosti, qui,  
 tametsi duros se pollicerentur, ad postremum tamen nihil  
 effecerunt et sicuti tunc, sic ne nunc quidem uspiam promissa  
 apparent auxilia. Sed his non obstantibus semper, quoad 17  
 licuit et potuit, Christianitati libens servivit. Quod tum est 18  
 magis declaratum, cum hostes maximis viribus subnixi, ma-  
 chinis instructi Nandoralbam venissent oppugnatum, quam  
 si expugnassent, non regno illi tantum, sed etiam toti Chri-  
 stianitati iugum servitutis imposuissent. Scio optimo cuique 19  
 pereundum, reliquis vero serviendum erat. Quorum tamen in- 20  
 solentiam fregit pater omnipotens, nec enim victoria sunt  
 potiti, sed ductu, auspicio, felicitate ipsius comitis turpem in  
 fugam conversi. Quo tempore comes ille insignes calamitates 21  
 passus est amissione fortissimorum virorum maiorum regni  
 illius, ad postremum, ut intelligerent omnis perpetuam illius  
 in servanda Christianitate cupiditatem in ipsa meditatione  
 salutis vestrae defendendae atque muneris sui obeundi, exces-

sit e vita. Tum pignus libertatis nostrae, metus Turcorum,<sup>22</sup> terror hostium, denique ipse murus fidei procubuit. Tunc<sup>23</sup> quoque clarae memoriae rex Ladislaus admonuit summum pontificem, admonuit principes Christianos, quotiens et quibus temporibus non est necessarie dicere, scitis enim et meminisse potestis, ut ferrent socia auxilia, sed, ut est ingenium humanum, facilius omnes promittimus, quam promissa implemus. Quibus promissis regnum illud frustratum sic exustum<sup>24</sup> afflictumque fuit, ut nemo sit tam ferreus, qui afflictis rebus nostris commoveri non possit, et, quamvis cum Turco foedus iniri poterat, tamen fiducia promissorum maluerunt nostri pericula subire, quam fidei causam referre. Per id tempus<sup>25</sup> visum est nullum magis salutem fidelium invigilare debuisse, quam illum, penes quem beneficio vestro summa rerum omnium esset potestas, idcirco enim in illa custodia tanquam in specula collocata est deo aequa potestas, ut vacuum metu populum Christianum vigilia et prospicientia redderet, quem admodum Constantinus, Carolus Magnus et alii innumera- biles summi et maximi imperatores, ne quid detrimenti publica salus caperet, nec solum salutem publicam defende- runt, sed etiam eos oppugnaverunt, qui propugnatoribus fidei impedimento fuerunt. At hic noster imperator, grave<sup>26</sup> est dictu, sed dicendum tamen, amplissimi imperii principes, salutem omnium satisfacere putat, si ferrum, si flammam, si tela hostilia non videat et utinam nunquam videret, modo afflige- ret eos, qui se pro salute nostra per varios casus per tot discrimina rerum obtulerunt. Nunc quid obstat, cur regnum illud<sup>27</sup> tantam hostium molem perferre nequeat, quaeso, amplissimi orbis terrae atque consilii principes, pro vestra perpetua cupiditate dignitatis Christianae retinendae, augendae patien- tissimis audite auribus.

Defuncto domino Ladislao rege universi maiores et pro-<sup>28</sup> ceres regni illius pari voto uno omnium consensu ius regnandi illustri domino Mathiae deferunt, absentem deposcunt illum sibi regem, se regi subditos decernunt, quem nunc quoque amant et colunt veneranturque, uti decet, et tuentur, qui mox, ut illi divinitus regnandi potestas obvenit, nullum tem- pus omisit neque diurnum, neque nocturnum, quin de liber- tate in populi Christiani dignitate, quid cogitandum esset, cogitaret, quid agendum atque faciendum, idem non modo non recusaret, sed etiam ultro appeteret. Si quid autem effi-<sup>29</sup> cere non posset, id se ope vestra putaret effecturum et prae- sertim Romani imperatoris, quem sciret rei Christianae esse obnoxium, et iam sedandis intestinis regni tumultibus insta- bat, quo liberius fidei causam prosequi posset. Tandem exper-<sup>30</sup> tus est imperatorem magis discordiarum concitatorem, quam pacis auctorem, et communis boni expugnatorem potius, quam

defensorem vestrae libertatis. Quem cum ingens regnandi<sup>31</sup> cupido invasisset, ausus est et, inquam, pedem ponere violentum in ius libertatemque serenissimi domini nostri Mathiae regis, contra omnem pietatem fines occupavit, populos subegit, oppida intercepit. Qui se Turcis hostem fieri posse non existimavit, nisi prius nobis esset hostis; et profecto ita est. Allexit enim sceleratos homines, qui illud Christianissimum regnum murum fidei pro vestra salute periculis obiectum impellant, deturbent, praedentur et affligant. Quibus rebus<sup>34</sup> Christianitati non solum hoc detrimenti evenit, quod Turcis resisti non possit, verum etiam, qui illud nomine Romani imperatoris diripiunt, sic saeviunt. ut hostes, sic vastant. ut beluae, sic urunt, ut Turci, sic efferuntur, ut immanes barbari, ex quo defensores vestri tanto sunt debiliores ad resistendum, quanto vires eorum decrescendo fiunt minores.

Nos sic existimabamus, amplissimi orbis terrae princi-<sup>35</sup> pes, hunc fore imperatorem, qui rem Christianam antea in libertatem esset vindicaturus, verum tantum abest ab ea re, ut, nisi videritis, maiora inferet Christianitati, qui propulsabit incommoda. Ut enim cursus cursu, sic in magna<sup>36</sup> peccandi licentia malum malo superatur, quod tolerandum non est, si rem publicae salutis in integrum restituere voluerit, nec mirum, si nullis lacessitus iniuriis ius regni nostri violet. qui nec in rege Ladislao, quamvis fratrem pietate coluit. Meministis enim et memorare potestis repetenti olim domino<sup>37</sup> Ladislao regi coronam regni Hungarorum nec ad preces quidem vestras unquam reddere voluisse. Quam illustris regina domina Elizabeth genitrix illius domini regis Ladislai non pignus, sed tanquam depositum eius fidei mandaverit. Cum autem corona<sup>39</sup> ipsa nunc regnum et regem nostrum iure concernat, tamen illam tenet et ita tenet, ut, priusquam reddat, totis regni statum labefactare, quam reddita corona confirmare velit. Curus alie-<sup>40</sup> natio, deus bone, quantam pestem, quantam vasitatem agrorum, direptionem villarum, matrum familias, virginum, puerorum abreptionem, destructionem templorum praedarumque, caedis, incendiorum, denique omnium malorum causam in-vexit. Ut bellorum acies signis sublatis praecipites feruntur,<sup>41</sup> sic rapta e medio corona turbata redduntur omnia. Siquidem corona illa genti nostrae caelitus destinata omnium ora, omnium oculos in se convertit, quae dum alienata fuerit, nec regnum firmum, nec hosti publico resistere poterit. En genus que-<sup>42</sup> rularum et impedita, ob quae regia maiestas cogitur a persecutione hostium fidei desistere et ire obviam iniuriis Romani imperatoris, qui nullis provocatus iniuriis regnum illud tam pertinaciter perdere conatur. Nunc quia a fronte, a tergo,<sup>43</sup> a latere tenemur, in manibus vestris situm est, amplissimi imperii principes. utrum Turco, an imperatori sit resistendum;



si imperatori, causa fidei deserenda, sin Turco, huius importunitas extimescenda, qui nisi nobis eversis Turco bellum inferri posse non putat, et, quia ad vestrum spectat officium, adeste, date operam atque in medium consulite, ne vestris temporibus libertas populi Christiani minuat, sed augeatur potius, neve nobis magis cum imperatore, quam cum hostibus belli gerendi imponatur necessitas. Ponat arma imperator, coronam reddat, metas restituat, damna resarciat, qui si nolet, habemus domino iuvante viam, qua rebus nostris consulere poterimus. Hoc solum petimus, immo deum et homines testamur, ne culpemur postea, neve negotium fidei turbasse dicamur, si quid inviti fecerimus; et nunc quidem rebus providissemus, nisi iuris nostri cupiditatem ratio Christianae utilitatis vendicasset. Multa tulimus, quae ferenda viris non essent, sed, si ea tulimus non repugnantes, ne quietum statum vestrum turbaremus, etiam ne feramus, ut nobis hanc miseram animam eripiat. Servire comparati iniusta imperia duorum non perferunt. Nos vestri defensores huius contumeliam aequo animo tolerabimus, certe libertatem, quae nobis a patribus tradita est, experiemur. Verum id bene, an male in manu vestra situm est, omnia dat armis, qui iusta negat.

Reliquum est, intellexit amplitudo vestra, quantis in malis versemur, et, quo in loco posita sit salus et libertas populi Christiani, aliquando, per deum immortalem, perniciem nostram cum vestra calamitate coniunctam esse reputate, vel obliti salutis nostrae saltem de vestris periculis cogitate, animum patrium virtutemque recipite aut libertatem propriam Christiani generis et nominis recuperate aut mortem crudelissimo et deterrimo hostis dominatui anteponite. Non est nobis res cum eo, quo pacis aliqua condicio haberi potest, non enim ille servitutem, ut ante, sed iam sanguinem vestrum concupivit. Quare, dum licet, ferte socia auxilia, ite obviam publico hosti, ne patiamini sanguinem nostrum per scelus hostis tabescere. Habetis regem nostrum salutis vestrae invigilantem, memorem vestri, oblitum sui, nec auctorem modo huius sanctae expeditionis, sed etiam acerrimum defensorem, qui extrema subire non recusat, si ea re salus et libertas populi Christiani pariat. Rex vobis non deerit, modo vos regi deesse non velitis, certe domino iuvante nobis invigilantibus, vobis opitulantibus Christianis et futurum providentibus erimus cito liberi, commune periculum mutuo auxilio propelletur, impii tyranni amentia frangetur, salus communis reparabitur, iocundiores faciet libertatem periculorum recordatio. Ubi autem illius regni immemores promissa auxilia serius mitteretis, quoniam summa rerum

omnium necessitas postulat, iterum deum testamur et homines non culpa nostra fore, si quidnam acciderit, quia nihil tam illi regno nocuit, quam auxiliorum promissio, nec aliis sedentibus et nobis iam fessis vita periculis obiectanda est, praesertim cum adhuc domino volente captivos habeamus insignes Turci, quibus libertati donatis facile cum eo foedus inibimus, nec imposterum fiducia promissorum nos et regnum illud periculis aut fortunae submitteremus.

## APPENDIX.

### 1. EPISTOLA AENAEAE SILVII PICCOLOMINEI.

Aeneas episcopus Senensis Georgio Polycarpo s. p. d.

*Ago tibi gratias, quod ad me scripseris. Legi enim sine voluptate litteras tuas eruditione atque humanitate plenas, quamvis fortunae tua acerbitas me commoverit, sed non est, cur non miremur: viris bonis et doctis semper fuit durissimum cum fortuna certamen, auferre tamen illa, quae sua sunt, potest, aurum, argentum et omnem supellectilem, vitae quoque vim ei licet inferre. In bonis autem animi potestatem non habet; ulla fortunae tempestas virtutem excutit. Captus a piratis Plato ac venumdatum maiorem se fuit. Nec magister eius Socrates in carcere positus minor se condemnante creditus est; nihil habet in sapiente, quod suum fortuna dicere possit. Bene*

*. . . Democritus ille*

*Ridebat curas necnon et gaudia vulgi*

*Interdum et lacrimas, cum fortunae ipse minaci*

*Mandaret laqueum mediumque ostenderet unguem.*

*Tibi fortuna libros abstulit, equos, argentum, vestes, vitae quoque interminata est. At, cum dimiserit animam, probitatem quoque ac eruditionem dimisit; quae dederat, repetiit; nihil est, quod ei improperet; nihil ex tuo rapuit, parva detraxit, maxima non attigit; sequitur te tua virtus, quae vel nuda dives est. Sed de hoc satis.*

*Quae de me ipso praedicas, non intelligo mihi convenire; neque tantum mihi arrogo, quantum tribuis; scio imperfectum meum, neque de me ipso plus aliis, quam mihi credo. De nepote meo intellexi, quae scribis, et do fidem verbis tuis, quamvis neque Iacobus frater meus, neque Franciscus ipse nepos aut alius quispiam id mihi notum fecerit, recognosco tamen officium tuum meque tibi obnoxium esse, pro tua erga me benivolentia et institutione nepotis. Quid, si qua in re iuvare te potuerim, non ero immemor tui, neque decro desiderii tuis, quoad facultas adsit. Quod petis ad me vocari, non est modo temporaneum; neque video hac in curia locum te dignum, neque ego hic mansurus sum. Accingo enim iam me, ut domum repetam, et plus habeo familiae, quam velim; dissoluto conventu mox iter arripiam; tibi melius erit meo iudicio apud regem Hungariae aut aliquem ex curia sua collocari. Studeas, in qua re Varadiensis episcopi doctissimi et optimi patris praesidio uti poteris et, si quicquam preces meae apud aliquem valuerint illasque requisiveris, parebo tuis petitionibus. Vale, ex Nova Civitate, die quintadecima Aprilis MCCCCLV.*

## 2. EPIGRAMMA IANI PANNONII.

Ad Polycarpum.

*Gratulor a terra saluum rediisse Latina  
 Numina nec votis surda fuisse tuis.  
 Gratius hoc fiet, si nos, Polycarpe, revisas,  
 Ni post tam longum tam breve taedet iter.  
 Quando ego te tota suspensus luce tenebo  
 Narrantem vastae dura pericla viac?  
 Quis status Ausoniae, quae sint ibi tempora rerum,  
 Quas urbes, quales videris ipse viros.  
 Quodsi non fallit cupidam spes irrita mentem,  
 Tota tuo nobis pectore Roma venit.*

## 3. EPIGRAMMA IANI PANNONII.

Ad Polycarpum.

*Occurrit quicquid, tu mox epigrammata poscis,  
 Nec fieri hoc debet nec, Polycarpe, potest.  
 Nec valet ex omni signata moneta metallo,  
 Sed quae vel rutilat fulva vel alba nitet.  
 Tum demum facili componam pectore carmen,  
 Si dederis dignam carmine materiam.  
 Hanc olim festiva tenent epigrammata legem,  
 Commendet pungens semper ut illa sapor.  
 Sunt quaedam, nullo quae possim dicere metro,  
 Sunt quaedam, quae vel dicta leporis habent.*

## III. SIMON HUNGARUS.

EPISTOLA AD IOANNEM VITEZ DE ZREDNA.

*Reverendissimo patri domini Ioanni Waradiensi episcopo  
 Simon salutem plurimam dicit.*

Quarto Nonas Apriles cardinalis S. Angeli cum Fer-<sup>1</sup>  
 raria Venetias versus navigaturus esset, quoniam biduo  
 austro existente adverso et tempestate orta retentus est,  
 postridie cum adhuc iidem venti terras vehementius perfla-  
 rent, invitus remanere coactus fuit. Eo quoque die Paulus<sup>2</sup>  
 tuae dignitatis fidelissimus olim famulus cum nihil sibi  
 iocundius putaret, quam ut de me e vestigio percontaretur,  
 domi me Guarini praeceptoris convenit, cui data et accepta  
 salute, quoniam eius viri familiaritate usque a teneris annis  
 usus fuisset, de re hominis studiose inquirere coepi. Nam,<sup>3</sup>  
 quoad longissime respicere possum praeteriti spatium tempo-  
 ris, inde usque memoria repetens eum cognovi singularem

mihi amicum semper extitisse. Itaque cum in curia tuae  
 eximiae amplitudinis commoraremur, aetas simul cum ami-  
 citia inter nos conflata brevi coaluit. Meministi profecto, pater  
 praestantissime. et affirmare ipse poteris non mediocri nos  
 mutua benivolentia functos adeo, ut Scipionis prope Africani  
 et Laelii necessitudinis officium assecuti videremur. Quo mag-  
 nis memorare poteris, si his a te cognitis nos tam consuetudi-  
 nem memoriae revocabis et ego arbitrabor facilius me tibi,  
 quae vellem, probaturum. Ut ea pergam dicere, quae orsus  
 eram, ipse Paulus impatiens sermonis diuturni, qui tamen  
 intermutuus agebatur. Supersedeo, inquit, ceteris interim, quo  
 usque de salute reverendissimi patris et, quo pacto se eius res  
 habeant, optatissimum mihi nuntium disserueris. Is ubi a me,  
 uti ex multis audiveram, accepit tuam dignitatem hoc tempore  
 a regia maiestate summa amplitudine cumulatissime auctam,  
 magnas deo immortalis gratias egit maiori laetitia affectus,  
 qua unquam hominem videre atque sentire potuerim, cui  
 certe non sine causa plurimum laudis semper meo et tuae  
 dignitatis consilio tributum est, nam tanta est pietate et  
 incredibili benivolentia erga te, ut eundem facile cerneres,  
 quam ab initio pueritiae fide integerrima te vereri atque  
 colere, ut patrem, studuisset. Sperat enim, ubi ad id loci  
 ventum est, tua diligentia, auctoritate, continentia et fortu-  
 nas regni nostri deinceps esse tutiores et in forensibus causis  
 te duce aequitatem administravit. Postquam inter nos multas  
 et varias laudes de opinione virtutis tuae in medium attulisset,  
 Ego, inquit, cum a domino meo Waradiensi profectus fuisset  
 et propter necessitatem cuiusdam negotii conficiendi ad  
 patriam mihi confestim esse eundem viderem, ibi cum tribus  
 ferme mensibus commorarer, aedes, quas habui, cum re fa-  
 miliari subito proscripsi et illinc porro urbem Romam petii.  
 Cumque ibi diutius stetissem et me inter Teueros satis longo  
 temporis intervallo versatum profiterer, notitiam quoque liti-  
 terarum illius gentis me prooptime tenere, subito, inquit, res  
 est ad summum pontificem delata, ob cuius quidem rei stu-  
 dium mirifico me amore est complexus et eum non solum  
 ex animo bene velle mihi intelligo, sed etiam alicuius beneficii  
 opem brevi praestitutum. Verum, inquit, si quos interea  
 legatos dominus meus Romam mitteret, meo de nomine dili-  
 genter perquirant, oro, me autem apud fratrem Valentinum,  
 quoniam ei viro officio et benivolentia maxima sum de-  
 vinctus, praesto invenient. Etenim, si quid prope conficiun-  
 dum opus erit, quam primum mea opera curatum efficiam,  
 praesertim, quia omnes fere cardinales mirum in modum mihi  
 conciliatos habeo, aditum praeterea summi pontificis mihi  
 semper patefactum. His locutus dictis obtulit singulare mu-  
 nusculum tuae amplitudini, monumentum et pignus sui erga  
 te amoris, quod ego dignitati tuae per hunc tabellarium misi,

nam fide constantem et magna religione ornatum et praeditum suspicor. Addit praeterea, ubi aliquid beneficii adeptus<sup>15</sup> esset, propediem tuam R. P. visurum; quod faciet, spero, nam studio inflammato rapitur ad te redire. Cum haec inter nos<sup>16</sup> agerentur, postera die ortus est aquilo, qui inductas repente depulit nubes, qua quidem re, ut fit, dies quoque clarissimus est reductus. Ipse autem cardinalis frequentia hominum sti-<sup>17</sup> patus navim conscendens Venetias traiecit, quoniam vela secundos ventos habuisse ferebant. Sed Paulus circiter XI. Kalendas Septembres rediit, qui dicebat cardinalem nihil pacis potuisse conficere, pro qua concilianda inter Venetos et ducem Franciscum a summo pontifice tanquam optimus auctor pacis missus erat. Verum ait in illa sua seditione et maximo belli<sup>18</sup> motu partes peroptare, quo pontifex aliter ex sententia partium electus rem absolute transigeret et communi bono consulens bellorum tumultus sedaret; quid adhuc egerit, penitus ignoramus. Ioannem tuum optime valere scito, cui tuae digni-<sup>20</sup>tatis litterae subito, cum allatae sunt, redditae fuere; per has autem vacationes deambulationis gratia Veronam se contulit, qui, cum diceret se brevi venturum, nondum rediit neque litteras tuae amplitudini misit, nisi forte Patavii tabellarius illum offenderet, quoniam illuc debere venire putabatur. De<sup>21</sup> me, nescio, quid dicam, nisi id, quod in re est, scilicet cupidissime et quam acerrime studere, dies noctesque invigilare, ut aliquid doctrinae et virtutis consequi possem. Georgium<sup>22</sup> Polycarpum immortales gratias agere scito tuae dignitati propter divina tua in se merita et dicere solitum nunquam satisfacere posse, etiam si omnia officia totius vitae in te unum conferret. Alia is fidissimus nuntius coram explica-<sup>23</sup>bit. Vale. Ex Ferrara pridie Nonas Septembres.

#### IV. GEORGIUS AUGUSTINUS ZAGABRIENSIS.

##### EPISTOLA AD NICOLAUM OSTPHI.

*Georgius Augustinus Zagabriensis magnifico ac generoso domino Nicolao Ostphi praeposito Strigoniensi dignissimo s. p. d.*

Salvum ac incolumem te esse cupio. Quam permolestum<sup>1</sup> mihi discessio mea abs te fuerit, nostrae consuetudinis diremptio, tuae generositati lubens, si mentem verba sequerentur, exponerem. Verum etiam, ne assentatoris officio fungi censerem, impraesentiarum tacendum potius, quam ullum verbum proloquerer, existimaveram. Sed animo nequaquam quiescente, immo urgente, ut aliquid litterarum ad te perscriberem

rem, impellor, uti paucis tecum his praesentibus colloquar. Maximo itaque desiderio immensaque cupiditate, vir magnifice, superioribus diebus tuam humanitatem visere exoptaveram tum plurimarum rerum, tum tuae benivolentiae ac necessitudinis gratia mihi conciliandae. Quod cum diutius mecum volverem, quo modo, qua via quave ratione id exequi possem, tandem statueram prius, tuam antequam ad humanitatem accederem, litteris tecum agere, ne penitus istuc, quovis tempore, quavis aetate id contingeret, ignotus venirem. Scripseram itaque tuam ad amplitudinem una cum domino Helia Czepes etsi verbis paucillis litteras, quae animi et voluntatis meae essent indices quibusque tuae benivolentiae et familiaritatis erga me initia praecurrissent, sed fortuna semper felicitati hominum invidente longe aliter, quam animo meo destinaveram, effectum est. Quippe nec meae nec Heliae, uti istic accepimus, litterae tibi redditae fuerant meque paene ignotum, qui absens tuae humanitati notus esse cupieram, reddidit. Nihilominus tamen, ut uterque nostrum istuc advenit, tanta te humanitate praeditum conspeximus, ut mox nobis visis te hilarem vultuque iocundo erga nos praebueris nosque tuum in contubernium, ac si sexcentis annis antehac convixissemus, gaudens accepisti iusque hospitii more priscorum colere videbare. Illi etenim maximum aliquid consequi se putabant, si aliquos iure hospitalitatis sibi coniunxissent; tantaeque venerationis id nomen ipsis erat, ut nil foedius, nil turpius, nil denique taetrius admitti posse crederent, quam hospitem violare seu quavis affici molestia. Cuius rei et ipse Maro clarissimus omnium vates non ignarus ipsum Iovem summum deorum gentilium, etiam hospitio praefectum memorat. Inquit etenim:

Iupiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Unde et sanctum et inviolatum maximeque religionis ac observantiae nomen hospitii apud illos habebatur. Tua vero benignitas nos non ut hospites, immo ut amicos et maxima necessitudine tibi coniunctos tractavisti, humanissime accepisti totumque te nobis deditissimum ostendisti, ut nequaquam tuorum morum facilitas summaque tuae amplitudinis suavitas nostris animis imposterum excidere poterit. Quid enim loquar? quam suavem quamve dulcem te agnoverimus in compellendo? quam comem ac placidum in pertractando quamve benignum ac liberalem splendide accipiendo? Tua suavitas adeo nos tibi coniunxit, comitas adeo devinxit, benignitas adeo obligavit, ut vix alicui mortalium magis astringi deberive cupierimus. Nos exinde tua humanitate ac mansuetis moribus perspectis familiaris forte, quam convenisset, tecum egimus. Verum etsi nonnullas in ea, quae tua dignitate ac amplitudine minus digna essent, incidimus, freti tua

benivolentia ac familiaritate fortassis fines ac terminos nostri instituti transiebamus. Si vero quavis in re prorsus inepti<sup>15</sup> fuerimus, nobis persuademus, tuus etenim ingenuus animus, tua mansuetudo, tua facilitas hoc nobis pellicere videtur, cumque tot dies permanserimus, unius tamen instar diei istic moram habuisse nobis creditum est. Sed quid te teneo verbis?<sup>16</sup> Omnia nobis iocunda, omnia suavia, omnia, quae nos oblectabant, dies, quo a te abiimus, praecidit, ademit et abstulit. Eius<sup>17</sup> etenim consuetudinis usu, qua cottidie fruebamur quamque in noctem, quam maxime potis fuerat, protrahere conabamur, abstracti aegritudo animi non minima nobis intercessit. Nanque, uti te non fugit, nocte saepe et saepenumero in sermonibus conferendis producta vix separabamur. Ita vero<sup>18</sup> in animum induco meum, nisi et somno suas partes tribuere oportuisset, ut hinc promptiores aptioresque ad studia reliquasque disciplinas capessendas ac caetera officia exequenda essemus, vesperam matutino crepusculo fando varia iunxissemus nosque dies noctis principio sermonem ingressos prius oppressisset, quam separaremur. Descedentes itaque tua ab<sup>19</sup> humanitate, vir amplissime, tuaque nos consuetudine privari videntes, tametsi hoc nostra studia, quibus incumbimus, meaque praecipue exigere videbantur, quam aegre tulerimus quamve magno dolore affecti fuerimus, tu, velim, ipse iudices. Corpore quidem Ferrariam versus tendebamus, animo semper<sup>20</sup> Bononiae persistenti navigando digrediebamur. Voluntatibus connectebamur adeo, ut, quanquam ipso die satis procul a Bononia navigassemus, tu tamen nos et nocte consequi visus es. Quippe cum ea nocte in diversorio quodam constituti<sup>21</sup> quieti — siquidem illa quies appellanda fuerit, — corpora nostra dedissemus noxque plurima sui parte lapsa fuisset, quin potius iam aurora aderat, tota ferme cum nocte antea vigilassemus somnumque oculi non vidissent, tandem lumina defessa sopor ad diem vehementius oppressit moxque insomnium huius generis prae oculis se obtulit, ut ipsa in visione ambigerem, ane Bononiae adhuc persisterem, qui tamen pridie ea excesseram, an foris Bononiam pernoctarem. Tua<sup>22</sup> nanque benignitas mihi adesse visa est orans atque obsecrans deum sanctosque eius angelos, ut, si abs te digrederemur, navis, qua eramus navigaturi, aliquid pateretur incommodi. Nobis vero tuis minime precibus acquiescere voientibus<sup>23</sup> tuaque orata irrita linquentes navim conscendere visi sumus. Ecce autem nobis navigantibus subito tua optata rata fuere. Equidem magna vis aquae quibusdam rimis visa est in navigium irrumpere adeoque omnes magno timore perculsi trepidaremus moxque ego experrectus totus sudore, quasi aqua perfunderer, dubitans, haesitans, incertus existens, ubinam locorum sim. Haec quidem visio insomnii. Verum aures<sup>25</sup> adhibe parumper, quaeso, ut scias, quid et vigilantibus conti-

gerit. Ego id insomnium nemini indicans, quippe quod non magni penderam, surgens una cum aliis navigium ingressus iter propositum conficere nitebamur. Cum vero trium quatuorve horarum spatio per paludes immensas cursum satis felicem habuissemus, ubi nil aliud, aquas dumtaxat sub oculis, cannis circumquaque omnia referta caelumque desuper conspicere licebat, ut iure dixerim, caelum undique et undique pontus, nocturnas vigiliis dorsis oppositis nonnulli, alii capita humeris adhaerentium reclinantes egregie restauravimus. Cumque in extremitate cursus iam affore videbamur terramque et eam limosam quemadmodum putredine cannarum confectam non longe abesse videntes diverso genere hominum, erant etenim diversi in eadem, constituto secundum varia ingenia et naturas aliis et aliis rebus vitiare coeperunt. Equidem nonnulli religiosi observantes de cultu dei conferentes religiosorum vitam paene in caelum extollebant adeo, ut uterque nostrum monachum sancti Dominici nobis deditum, ineptum quidem nobis hic adesse affectaret. Quidam vero conventuales largioris conscientiae de ieiuniis primum ac demum de Bacchanalibus, quod eis potius visum est, dimicantes et eius ergia optime fuisse instituta non minimis laudibus efferebant, eum vero noctes atque dies coli asserentes. Alii praeterea contractis membris senio podagraque confecti deum, ut ipsi opem ferret, implorabant. Et ego cum Helia Zaepes in tanta diversitate rerum nostras partes nostrumque munus adimplere, si licuisset, conabamur primum nonnullis lectionibus dediti, demum facetiis, ne inter postremos censeremur ignavique ab eisdem iudicaremur, moram navigii deducebamus. Sed ecce, et infortunium nobis inter huiusmodi negotia non longe aberat, ut enim propiores puppi nos duo consideramus loco sane amoeniori, propius iam et ipsum discrimen, nisi Helias primum animadvertisset, nobis instabat. Nam, ut dixi, omnibus circa varia occupatis nemine praecipiente magna aquae copia iam in navim introierat, ut etiam nonnullorum res detrimentum paterentur. Denique nemine praevidente Helias casu se retrovertit moxque exclamans aquas in navim vehementer irrumpere illicoque omnes, nisi providerimus, aqua obrui naufragiumque pati. Cuncti obstupuimus nautam deprecantes, ut salutem omnium tueretur ac meatus aquae occludendos curaret; nihil demum eo proficiente orare coepimus, nos in terram exponere properaret. Ut ripas attigimus, raptis sarcinulis, hoc est mantellis et bursis, gladiatorum siquidem non memineramus, uti viciniore periculo fuimus, primis in terram exilire contigit: tute iam nos videntes, cum aliorum senum pedibus et aetate laborantibus opitulare sibi rogantibus misereri debuerimus, fere omisimus, nanque fratrum ac monachorum iurgia de cappis eorum et habitibus ac quibusdam lagoenis vino Bononiensi plenis



audientes cachinno paene dissolvebamur. Tandem alleviata<sup>30</sup> restaurataque navi amplius trium miliariorum spatio pedibus viam conficere quidam nobiscum deliberavere sicque casum, cui vicini fuimus, nobis evadere licuit, quem tibi recensere gestiebam, uti quem tuis precibus paene exauditis subiimus. Et forsitan, nisi quidam religiosi devotissimi nobiscum affuis-<sup>37</sup> sent, — erant enim et alii procul ab ea semoti, — poenas pro inobedientia etsi insomnio habita tibi luissemus. In eo vere<sup>38</sup> discrimine illico insomni memini nocturnaeque visionis recordatus sum eamque obiter Heliae plurimum advertenti recensebam. Mirabamur vehementer, quemadmodum ipsi superi non modo tibi vigilantibus, verum etiam sopori dedito, ut nobis persuademus, — scimus etenim, quod nondum ad divina officia peragenda surrexeras, — suas aures tam faciles praebuerint, tua vota tam confestim exaudierint. Certum vero<sup>39</sup> habeas, nil me tibi in hac re finxisse, sed rem ordine actam memorasse. Demum Padum una cum navi rimis fatiscente<sup>40</sup> attigeramus triaque milia itineris perficiendi Ferrariam usque supererant, ibi una lembo conducta Ferrariam sole iam ad occasum vergente adnavimus, urbem ac deinde habitationem introgressi fame membris debilitatis satis aspere nihil prompti nos ad manducandum reperisse ferebamus, fiala tamen vitrea, quam plenam vino tuae benignitatis cocus vester repleverat, ille, ut nostis, brevis, qui, nescio, an iam magis creverit seu potius decreverit. Sed haec alias. Vas tamen vitreum zukka<sup>41</sup> vulgariter nuncupatum adhuc intactum meo adhaerens lateri sat me bono animo esse iubebat nunquam, quousque gutta vel minima ex eo stillare poterit, me asserens deserturum. Sed leniter guttur ac interiora liquore, quod contineret,<sup>42</sup> temperans amissas instaurare vires pollicebar, sed ecce interea et domestici nobis obviavere luceumque iustae quantitatis afferentes ac elixantes nobis epulandum apposuerunt, ubi totus noster sermo inter edendum tua de amplitudine habitus est, te adesse maximis longisque votis exoptantes. Sed cur<sup>43</sup> amplius te teneo? Tu saepissime nostro sermoni intercurris,<sup>44</sup> omni fere momento tui meminimus, te absentem ac si praesentem conspicimus, tuus enim vultus nostro inhaesit pectori, tua effigies nostro insculpta est cordi, urbanitas morum nostro insedit animo totosque nos tibi scias deditissimos, tui amantissimos, tui cupidissimos. Quod item erga nos tua ab humanitate fieri speramus. Haec hactenus. Ne etenim fastidium tuae amplitudini parare videar, finem faciam. Gratias prius<sup>45</sup> immortales tuae magnificentiae de bona acceptione singulareque humanitate, quam erga nos habueris, agens nos nostrasque operas ac studia tibi, ubicunque fuerit opportunum, me tuae praeterea magnificentiae vehementer etiam atque etiam commendo tuamque humanitatem oro atque obsecro, me tuam in benivolentiam ac amorem accipere velis. At ubi-<sup>47</sup>

vis gentium, ubivis terrarum fuero, tuo honori tuaeque dignitati amplificandae Georgium Augustinum nunquam defuturum tibi persuadeas, velim. Etiam atque etiam vale. <sup>48</sup>

Ianus nostro in reditu nondum reversus erat. Sabbato <sup>49</sup> tamen proximo, qui est dies tertius Kalendas Iulias, rediit. Quam laeti eum viderimus, vix verbis explicare possem, uti <sup>50</sup> eum, quem magnopere exoptaveramus. Illico eum convenientes <sup>51</sup> tuo ei nomine salutes diximus, quas gratissimas habuit eumque esse ac fore tibi coniunctissimum certo scias. Postquam <sup>52</sup> commoditas temporum aderit, te visendum istuc accedere pollicitus est. Tua me humanitas commendatum habeat. tuam <sup>53</sup> praeterea magnificentiam oro, dominis Petro et Gregorio dominoque Marcello Romano nomine meo dic salutem. Marcello <sup>54</sup> pro suis calamis, quibus me donaverat, age singulares gratiarum actiones dominoque Ioanni Treverensi me commenda. Vale et salve. Ferrariae, octavo Idus Iulias. <sup>55</sup>

Litteras iam dudum tuam ad amplitudinem dedissemus. <sup>56</sup> si tabellarios, quibus eas fide committeremus, nos habere contigisset, verum plurimos metuentes, ne, si alicui nobis ignoto tradidissemus, tibi perferre curaret, opportunum nuntium potius expectare deliberaveramus: itaque data occasione nunc eas tibi transmisimus. Scriptis litteris supervenerunt <sup>57</sup> novitates de concilio Ratisponensi. Imperator ibi non adfuit, sed sua legatio; dux Burgundiae in persona illuc accesserat. Quid actum sit ibi et quae confecerint, proximis litteris tuam <sup>58</sup> humanitatem certiozem faciam et orationem, quam dominus Aeneas episcopus Senarum, ac capitula ibidem confecta tibi transmittam. Hoc tantum habeas: imperator ex tota Alemania <sup>59</sup> ducenta milia armatorum conficere proposuit. Fit autem <sup>60</sup> electus per totam Alemaniam, ut XXX. homines duos pedites bene armatos, alii XXX. unum equitem armatum hanc ad militiam praebeant. Fiet iter ad festum Michaelis, alia congregatio <sup>61</sup> eorundem coadunato exercitu in unum mense Aprili proximo in proximioribus locis Teucrorum castra ponere statuerunt. Quod utinam favore dei summi eiusque virginis <sup>62</sup> matris intemerate fiat, est optandum. Sed ocus, quoad potest, <sup>63</sup> exemplum orationis et rerum ibi actarum istuc transmittam.

---

## ANNOTATIONES CRITICAE.

*n. m.*: nota marginalis — *om.*: omittit, omittunt — *s. m.*: secunda manus  
 Scripsimus saepe *ae* (pro *e*), *oe* (*ae*, *e*), *t* (*c*).

### I. NICOLAUS BARIUS.

*VM* — *Tit.* Nicolaus—regem] Oratio collationalis ad illustris-  
 simum principem Ladislaum regem Ungarie, Bohemie etc. Aedita  
 per dominum Barinum prepositum Agrioensem sacri iuris cano-  
 nici doctorem per eumque palam Bude (*corr.* ex Wienne) in castro  
 ducali presentibus universis magnatis de prefato rege pronunccia-  
 ta *V*, *om.* *M*. — 1. et pavesceret ac pavescere *M* — homuncio *V* —  
 utpute *V* — neque consuetudo] vel consuetudo *M* — 2. choruscan-  
 tis *M* — 3. aspectum *V* — 4. dabis] dans *V* — et sufferes] ut suffe-  
 res *V* — 5. maores *V* — prothavo *VM* — triumphant *V* — 7. immor-  
 talitatis *V* — dico *om.* *M* — prestantissim *V* — bone *M* — 8. et  
 infinital ut infinite *V* — lingwe *V*, ligue *M* — 9. exsculptus *VM* —  
 11. praeconii et] preeonii *V* — 13. paterna et dextera *M* — 14. divi-  
 num] divum *V* — Elizabeth *M* — 15. Ffuit *V* — exterius *V* — 16.  
 Ffuit *V* — thoro *VM* — et maximae mentis] excelsique mentis  
 maxime *V* — maximis] multis *V* — 17. edifica *V* — thesamus *V*  
 rapere fur *V* — 18. splendidae *om.* *V* — uuventutis *V* — 19. conclu-  
 dent *V* — 20. pro meo ingenio illud *V* — 21. urbem tuam *V* — res  
 nostra *V* — ulgo *M* — 22. *s. m.*, *n. m.*: paulo post missis notabi-  
 libus oratoribus sincere fidei oblatione tui reditus principia  
 honcravit *M* — In hodierna *V* — cetus procerum *V* — 23. inclito-  
 rum *om.* *V*. — progenitorum tuorum *V* — 24. quaedam *om.* *V* —  
 propagini tue preclare *V* — 26. et moribus *om.* *V* — 27. praetereal  
 enim *V* — 28. sangwine *V*, sanguine *M* — 29. Ungarie *V* — 30. et *om.* *V*  
 — ne *om.* *M* — Ungarum *V* — 32. wltus *VM* — sangwini *V*, sanguini  
*M* — 33. aput *V* — 34. sathane *VM* — 35. repositum *V* — impendunt  
*V* — 37. feret] fert *V* — laboris *V* — 38. Udalricum *V* — strennuos  
*VM* — 40. magnaninnis *V* — 41. non] te non *V* — simul] solum  
*V* — amplectere] amplexare et, si qua offensiuncula preteritis  
 diebus tue maiestati temporum ingruentia facta est, hanc beneficio  
 neve devotionis abice et sempiterna oblivione dele *V* — 43. hic  
 felix] felix hic *V* — semper in celo *V* — Amen *om.* *M*

*App. 1.* — *N* — 4. haut *N* — 7. ymmo *N* — 14. opido *N*

*App. 2.* — *B* — *Tit.* Eneas *B* — dicit] dit *B* — 1. Ante Nimis  
 del. Venerabilis amice honorande *B* — 2. dicas *corr.* ex dicatis *B* —  
 efficias *corr.* ex efficiatis *B* — 4. Tua *corr.* in vestra, vestra *corr.*  
 in tua *B* — 5. scripsisti *corr.* ex scripsistis *B* — tuo *corr.* in vestro,  
 vestro *corr.* in tuo *B* — tibi *corr.* in vobis, vobis *corr.* in tibi *B* —  
 6. Post nuper del. domino *B* — 7. scisciteris *corr.* in sciscitemini,

sciscitemini *corr. in* scisciteris *B* — cura *corr. in* curate *B* — Vale *corr. ex* Valetate *B* — ama *corr. ex* amate *B* — tui *corr. in* vestri, vestri *corr. in* tui *B* — 8. XXVII. *corr. ex* XXVIII. *B*

*App. 3. — M — 1. presbiteri M — comodumque B*

## II. GEORGIUS POLYCARPUS DE KOSTOLAN.

1. — *M*

2. — *BS — Tit. Oratio—Nurnbergael Georgii Polycarpi oratio coram amplissimo conventu electorum sacri Ro. imperii acta Nurnberge XVI. Kal. Martias B, Incipit oratio Georgii Polycarpi in cancellaria Mathie Hungarorum regis prothonotarii acta Nurnberge coram amplissimo conventu principum electorum sacri imperii anno domini millesimo quadringentesimo XVI. Kalendas Marcias S — 1. atque ac S — et consiliil ac consilii S — Unngarie B — fuerint (sic) studiosi S — pace om. S — 2. nunc studium ne nunc B — deest] defuit S — iuvante S — 3. nonagintal sexaginta S — idque id quoque S — quod] quia S — cohiberi quoque B — 4. Sigismundus] dominus Sigismundus S — Sigismundi imperatoris S — principatus] principes B — 5. Bulgariam atque Rasciam et S — 6. contempndum S — 7. propensal proni pensa B, patrio pensata S — 8. perdomitas B — Hungarorum] Hungarie S — fores] in foribus S — tamen] omen S — facilius id datur S — 9. posset] potest S — 10. disiecerit] defecerit S — et—obiecerit om. S — hiis B — revocaret B — in conspectu] ante conspectum S — iugulare B — 11. ac] hac S — 12. fortuna S — ventura norint S — mentem sic S — depereunt B, deperient S — 13. esse om. S — 14. vobis] nobis S — dum] cum S — 15. supplicii B — 16. ille om. S — Bistrinensis B — moleml ruinam S — catholicos S — secuti B — 17. hiis S — quoad] quod S — inserxvivit S — 18. tum] tamen S — subnixil succinoti S — machinis] maximis ingeniis S — Nanderlbam B — expugnaverant S — 20. sunt victoria S — ducti S — auspicio et S — 21. ammissione S — sui om. S — e vita excessit S — 23. scitis] satis B — soto B — 24. siel sic vastatum S — fuit] fuerit S — sit] est S — commoveril connvueri S — et om. B — 25. quem] quem id est imperatorem S — Karolus S — imperatores curavere S — impedimenta B — 26. At hic] ad hoc B — sed om. S — modo ne S — nostral vostra S — 27. cur om. B — audire B — 28. amant et om. S — veneranturque] venerantur S — tuentur] tenentur B — obvenit] data est S — obmisit BS — in om. S — 29. Ro. imperatorem B — 31. ausus est ausus est S — fines] metas S — opida B — 32. Thureis B — 34. detrimentil trimenti B — Turcis] chochi B — etiam om. B — urunt] crunt B — Thurei B — quantum B — 35. antea om. S — in tantum S — incomoda B — 36. volueris S — regnil regis S — pietatem S — 37. repetentil repente B — Hunngarorum B — quidem om. S — 38. Elyzabeth S — genitrici B — illius] ipsius S — regis om. B — non ut S — 39. nunc] tunc B — et ita tenet om. B — labefacturum B, labefactari S — velit] malit S — 40. bone deus S — praedarumque] predarum S — 41. oral oculos S — oculos] era S — firmuml firmari S — 42. querularum B — persecucionel pro secutione B — hostium om. B — provocatus] prevortum v. prevortis S — iniuriis regnum] regnum B — 43. utrum Thureo B — deserenda est S — sinl si S — huius et S — qui—putat om. S — adeste om. S — consultate S — 44. dampna B — 45. immol ymo BS — rebus nostris S — miserrimam S — 46. duo-*

rum] dominorum *S* — 48. et quol] quo *S* — 49. eo quol] eo hoste quocum *S* — antea *S* — 50. itel] ita *B* — 51. memorem—sui] periculorum suorum inmemorem *S* — 52. auxilia *B* — frangatur *S* — communis *BS* — reparabitur] liberabitur *S* — 53. et homines] homines *S* — praesertim *om. S* — Turchi *B* — submitteremus] submitteremus etc. *B*, submitteremus. Ihesus Christus. Amen *S*

*App. 1.* — *F* — *Tit.* Eneas *F* — Policarpo *F* — 3. pirrhatis *F*

*App. 2.* — *VHe* — *Tit.* Policarpum *VH* — 1. al] aut *H* — 4. taedet] redit *corr. s. m. in reddit V*, redit *H* — 5. tenebol] videbo *c* — 8. urbis *H*

*App. 3.* — *R* — 3. metallo *corr. s. m. in metallo R*

### III. SIMON HUNGARUS.

*M* — 1. Apriles] sextiles *Sabbadini* — 5. Affricani *M* — 6. hiis *M* — *Ante* revocabis *del. commendabis M* — 8. Is] Id *M* — 11., 13. sumi *M* — 14. Hiis *M* — 17. ventus *M* — 18. sumo *M* — 22. Policarpum *M*

### IV. GEORGIUS AUGUSTINUS ZAGABRIENSIS.

*M* — 14. familiaritate *super* humanitate *scr. M* — 15. polliceri *Abel* — 21. Quippe cum]cum *M* — in insomnium *M* — 27. quemadmodum] que admodum *M* — vitiare] utare; *certo legi nequit M* — 32. consideramus *M* — 33. ocupatis *M* — 35. viciniores *M* — nocturaeque *M* — 52. comoditas *M* — 56. oportunum *M* — 58. Eneas *M* — 61. proximoribus *M* — Trucorum *M*

## INDEX NOMINUM.

*A: Appendix.* — *Numeri currentes ad orationes et epistolas et epigrammata pertinent — v.: vide*

- Albania* II, 2, 5.  
*Albertus* imperator Romanorum I, 14.  
*Alemania* IV, 59—60.  
*Augustus* Caesar I. 11.  
*Ausonia* (v. Italia) II, A, 2, 7.  
*Austria* I, A, 2, 6.  
*Bacchanalia* IV, 29.  
*Barius*, Nicolaus I, A, 1, tit. 2, tit. 3, tit.  
*Belgradum*, v. Nandoralba.  
*Bononia* IV, 20—21 (bis).  
*Lononiense* vinum IV, 35.  
*Lulgaria* II, 2, 5.  
*Burgundia* IV, 57.  
*Capus*, Valentinus Laurentii de, ord. S Pauli Eremitae III, 12.  
*Carolus* Magnus II, 2, 25.  
*Carvajal*, Ioannes, cardinalis Sancti Angeli III, 1.  
*Christiana* dignitas II, 2, 27. — religio I, 33. — res II, 2, 23, 33. — utilitas II, 2, 45.  
*Christiani* II, 2, 8—9, 52. — principes II, 2, 1 (bis), 23.  
*Christianissimum* regnum II, 2, 33.  
*Christianitas* II, 2, 4, 16—18, 21, 34—35.  
*Christianum* genus II, 2, 48.  
*Christianus* populus II, 2, 7, 25, 28, 43, 48, 51.  
*Christus* I, 43. A, 3, tit., 1.  
*Ciliae* comes, v. Ulricus.  
*Constantinopolitana* urbs II, 2, 7, 10.  
*Constantinus* Magnus II, 2, 25.  
*Corvinus*, Mathias, v. Mathias Corvinus.  
*Czepes* [Zaepes], Helias IV, 5—6. [IV, 31—33, 38.]  
*Democritus* II, A, 1, 4.  
*Dominicus*, Sanctus IV, 28.  
*Elisabeth* et *Elizabeth*, mater Ladislai V. regis I, 14. II, 2, 38.  
*Europa* II, 2, 1.  
*Ferraria* II, 1, 8. III, 1, 23. IV, 20, 40 (bis), 55.

- Florentinus* mercator I, A, 2, 5.  
*Franciscus* Sfortia, dux Mediolanensis, v. Sfortia.  
*Fredericus* III. Caesar, imperator Romanorum I, A, 2, 5. II, 2, 29, 34, 42.  
*Gigas* I, 40.  
*Graecae* littorae II, 1, 6.  
*Graecia* II, 2, 5.  
*Gregorius* IV, 53.  
*Guarinus* Veronensis III, 2.  
*Hellesponticum* mare II, 2, 1.  
*Hungari* II, 2, 8.  
*Hungaria* I, 29. II, 2, 1, 37. A, 1, 9.  
*Hungarica* historia I, A, 2, 6.  
*Hungarus* I, 30.  
*Hungarus*, Simon II, 1, 5. III. tit.  
*Hunyad*, Ioannes de, comes Bistriensis II, 2, 16.  
*Ianus* (Iohannes) Pannonius II, 1, 6. A, 2, tit. 3, tit. III. 20. IV. 49.  
*Iherusalem* I. 23.  
*Italia* (v. Ausonia) I, A, 1, 7.  
*Iupiter* IV. 9 (bis).  
*Iwanich*, Paulus de III, 2, 7, 18.  
*Kapus*, v. Capus.  
*Kostolan*, Georgius Polycarpus de II, 1. tit. A, 1, tit. 2, tit., 3, 3, tit., 2. III. 22.  
*Ladislaus I.* (vel Sanctus). rex Hungariae I, 25.  
*Ladislaus V.* rex I, tit. A, 2, tit. II. 2, 23, 28, 36—38. .'  
*Lcelius* III. 5.  
*Latina* terra II, A, 2, 1.  
*Marcellus* Romanus IV, 53—54.  
*Marcus* I, A, 1, 13.  
*Mathias* Corvinus, rex Hungariae II. 2, 28, 31.  
*Michael* archangelus IV, 61.  
*Nandoralba* (v. Belgradum) II, 2, 18.  
*Nova Civitas* I, A, 1, 11. 2, 8.  
*Narnberga* II. 2, tit.  
*Ostphi*, Nicolaus, praepositus Strigoniensis IV, tit.  
*Padus* IV, 40.  
*Pannonius*, Ianus, v. Ianus Pannonius.  
*Patavium* III, 20.  
*Paulus* de Iwanich, v. Iwanich.  
*Petrus* IV, 53.  
*Piccolomineus*, Aeneas Silvius, episcopus Senensis (Senarum) I, A, 2, tit. II, A, 1, tit. IV, 58. — Franciscus II, A, 1, 7. — Iacobus II, A, 1, 7.  
*Plato* II, A, 1, 3.  
*Polycarpus* de Kostolan, Georgius, v. Kostolan.  
*Radulino*, Stephanus de, presbyter I, A, 3, 1.  
*Ragusii* I, A, 3, tit.  
*Rascia* II, 2, 5.  
*Ratisponense* consilium IV, 57.  
*Roma* II, A, 2, 10. III. 10, 12.  
*Romanum* imperium II, 2, tit. — regnum I, 5.  
*Romanus*, Marcellus IV, 53—54.  
*Scipio* Africanus III, 5.  
*Sfortia*, Franciscus, dux Mediolanensis III, 18.  
*Sigismundus* Caesar, imperator I, 7, 16. II, 2, 4 (bis).  
*Simon* Hungarus, v. Hungarus Simon.  
*Treverensis*, Ioannes IV. 54.  
*Teucri* (v. Turci) III, 11.  
*Turci* (v. Teuceri) II, 2, 1—3, 22, 32, 34 (bis), 53. IV, 61.  
*Turcus* II, 2, 24, 43 (ter).  
*Ulricus*, Ciliae comes I, 38.  
*Veneti* III, 18.  
*Venetiae* III, 1, 17.  
*Vergilius* Maro, P. II. 1, 5. IV, 9.  
*Verona* III, 20.  
*Vitez* de Zredna, episcopus Waradiensis (Varadiensis) I, A, 1, tit. 2, 1. II, 1, tit. A, 1, 10. III. tit., 10.  
*Zaepes* [Czepes], Helias IV, 3i—33, 38. [IV, 5—6.]  
*Zagabriensis*, Georgius Augustinus IV, tit.  
*Zalard*, oppidum I, A, 1, 14.

## CORRIGENDUM.

*p. III. v. 5. pro in lege in numerum*

# BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ.

## SAECULA XII—XIII.

*P. magister*, quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 5,40

## SAECULA XIV—XV.

*Barbarus*, Candianus — *Barbara*, Constantia, nata Memo — *Barbarus* Maior, Zacharias. Testamenta ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)  
*Trevisanus* Maior, Zacharias. Orationes et testamentum edd. Bertalot — Gothein. 1933. (Excuditur.)

## SAECULUM XV.

- Barbarus*, Franciscus, Epistolae ed. Gothein. 1934. (Apparebit.)  
— Orationes. Accedunt orationes Gasparini Barzizii et Matthaei Bissarii et Ambrosii de Advocatis et Tobiae Burgi et Iohannis Spilimbergensis ad Franciscum Barbarum habitae ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)
- Barius* Nicolaus — *Kostolan*, Georgius Polycarpus de — *Hungarus*, Simon — *Zagabriensis*, Georgius Augustinus, Reliquiae ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 1,50
- Callimachus* Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia ed. Kardos. 1932. — — RM. 1,70
- Martius*, Galeottus, Carmina ed. Juhász. 1932. — — — — RM. 1,80  
— De dictis ac factis regis Mathiae ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)  
— Epistolae ed. Juhász. 1930. — — — — RM. 1,—  
— Invectivae in Franciscum Philelphum ed. Juhász. 1932. — RM. 2,50
- Pannonius*, Ianus, Opera ed. Heszti. 1933. (Apparebit.)
- Philelphus*, Franciscus, Sphortias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)
- Ransanus*, Petrus, Epitoma rerum Hungararum ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)
- Seneca*, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum ed. Fögel. 1932. — — RM. 5,00
- Valagussa*, Georgius, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
- Vitez* de Zredna, Iohannes, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)  
— Orationes ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)

## SAECULA XV—XVI.

- Celtis*, Protucius, Conradus, Amorum libri IV. ed. Pindter. 1933. (Excuditur.)  
— Ludus Dianae — Rhapsodia ed. Rupprich. 1933. (Excuditur.)  
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus ed. Rupprich. 1932. — RM. 1,30
- Fontius*, Bartholomaeus, Carmina edd. Fögel—Juhász. 1932. — RM. 2,—  
— Epistolarum libri III. ed. Juhász. 1931. — — — — RM. 4,50
- Piso*, Iacobus, Opera ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
- Verinus*, Ugolinus, Carlias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Apparebit.)  
— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracena Baetidos gloriosa expugnatione edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)

---

PRETIUM HUIUS VOLUMINIS RM. 1,50